Dilectis filiis Cancellario et universitati studii Heydelbergensis

Eugenius episcopus servus servorum dei Dilectis filiis
Cancellario et universitati studii heydelbergensis Salutem
et apostolicam benedictionem Gloria in altissimis deo et in terra
pax hominibus bone voluntatis Quivat dilecti filii in vocem
exultacionis erumpere et gestiente animo cum angelis
insimul letitiam qui quidem ineffabile gaudium
quod erit omni populo xpistiano nunciamus Tanto ipse
mens nostra divine consolationis rore perfunditur ita
exhilaratur cor nostrum ut quod sentimus explicare
nequaquam valeamus sola quoque in gratiarum actione et voce
laudis requiescat affectus noster Ecce enim quod arden=
tissimo studio et indefessa pietate olim et longe
antequam ad pontificatus apicem assumeremur opta=
vimus occidentalis et orientalis ecclesie diuturnum
perniciosum quoque dissidium post quadringentos quinquaginta
annos divina tandem miseratione sublatum est
Qua in re licet semper pro viribus adhibuerimus diligentiam quoque
quantum ille donare dignatus est totum tamen infinite
illius bonitati ascribimus sine cuius ope totum est inane
quod geritur Nam quoque ab ipsis nostri apostolatus
initiis omni studio elaboravimus ut utriusque ecclesie
unio felicissima sequeretur Et post multas hinc inde
missas legationes advenerunt ad nos Anno
preterito adducti et hactenus sustentati sumptibus nostris
Carissimus in xpisto filius noster Johannes palao=
logus Romanorum imperator illustris et bone memo=
rie venerabilis frater noster Joseph patriarcha Con=
stantinopolitanus et locatenentes Alexandrini
Anthiocenum et Jerosolimitanum patriarcharum legati quoque

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/hs46/0010
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg